

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LI.

M. GUILLELMO-JOSEPHO DE L'EPINE, Antiquo Facultatis Decano, Doctore Medico, Præside.

An Duodenum plurium morborum sedes haud infrequens?

I.



TOT malorum speciebus subjacet hominum genus, ut nulla ferè sit corporis pars quæ peculiaribus vitiis affici non possit. Viscera potissimùm, ingenti morborum numero obnoxia deprehenduntur. Hinc statim patet quàm immensus sit Medicinæ campus, & quàm rectè dixerit Hippocrates ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή; *vita brevis, ars longa.* De variis affectibus unicuique organo propriis, peculiares ediderunt Tractatus Autores Medici. Duodenum autem inter intestina primas tenens, considerari certè meretur, seorsùm à fistulâ quæ ab ipso sumit exordium. Ad illud enim singulari studio attendere debent qui Medicinæ operam navant, si ratione structuræ, sitûs, usûs, consensusque cum aliis partibus, præbeat originem infinitis ferè malis & quidem pertinacissimis, quæ in ipso quasi nidulari latereque videantur. Quanti verò sit momenti, cùm organum quoddam Pathologicis disquisitionibus subjicitur, texturam ejus accuratè rimari, varios ipsius situs respectu partium ambientium perpendere, facultatum ejus, consensusque, seu sympathiæ cum diversis partibus rationem habere, adeò cuique obvium est ut in his discutiendis ampliùs immorari supervacaneum esset.

I I.

INTESTINUM de quo hîc agitur Duodenum vocatur à longitudine duodecim circiter digitorum quæ vulgò ipsi tribuitur. Ortum sumit à Pyloro, cui paulùm superius est. Flectitur dein ad latus dextrum, deorsùm simul & retrorsùm, lamellis omenti involutum. Descendendo, serpit in textu cellulari, intra Mesocoli duplicaturam. Spatio circiter trium digitorum à Pyloro recipit in parte posticâ, ut plurimùm uno hiatu, osculum ductûs choledochi simul & pancreatici. Altero dein flexu antrorsùm procedit ad Renem dextrum & arctissimè Colo adhærescit, usque ad saccum amplum qui vulgò Cœcum vocatur. Tunc itaque situm est Duodenum inter Hepar, Cystidem felleam & Renem dextrum ex unâ parte; & Pancreas ex alterâ. Deindè paulatim ascendit, suprà spinam inflectitur, inter subjectam Venam cavam & suprapositam Venam portarum sese immittit (a), sicque progreditur ad sinistram ventris partem, donec ad Meseræum perveniens superiori ejus alæ adjungatur. Mediam Mesocoli partem hîc pervadit (b) & sursùm fertur. Postremo tandem flexu ad angulum acutum, abit in intestinum quod Jejunum vocatur. Duodenum igitur arctissimè Mesocolo adhærescit, ipsumque ascendendo quasi perforat. Indè sequitur adeò firmùm esse nexum ejus ut à suâ sede minimè dimoveri queat. Contrà verò cætera intestina tenuia laxissimè Mesenterio adhærescunt & facilè in crebros orbes sese sinuare valent. Duodeni major est amplitudo quam Jejuni & Ilei. Ab illis differt ratione structuræ, ex eo quòd tunicâ communi externâ pro majori parte haud cooperiatur, ipsiusque tunica musculosa crassior & validior sit. Tunicæ duæ interiores, nervea & villosa, innumeras efformant duplicaturas ad circularem figuram accedentes, in ejus cavo pendulas, quæ valvularum conniventium nomen accipiunt. Ingens est in eo glandularum seu folliculorum numerus, præsertim juxtà Pylorum. Reperitur etiam in ejus superficie internâ eminentia quædam desinens in apicem vel rostrum, simplex aut duplex, quod osculum est ductûs biliarii simul & pancreatici.

(a) Santorini, Observat. Anatom. cap. IX. §. VII.

(b) Comment. Inst. Bonon. Tom. II. Part. I. pag. 138.

I I I.

PATET itaque ciborum massam è Ventriculo exeuntem, succoque gastrico subactam, statìm in Duodenum recipi, ibi præcipuè digeri, solvi & attenuari, efficaciâ bilis, succique pancreatici quæ huc affluunt; ità ut intestinum illud rectè spectari possit tanquam alter Ventriculus (a) quo nullum ferè caret Animal. Diuturnam ibi moram patitur chylus, antequam in Jejunum transeat, ob flexum qui ibi fit quasi ad perpendiculum, ut jam annotavimus. Proindè respectu ingestorum iisdem affectibus obnoxium est Duodenum ac Ventriculus ipse. Salinis v. g. & acribus irritari, vaporibus aqueis relaxari, &c. potest, & ob læsam virtutem, seu facultatem suam, chylo temperando inhabile fieri, sicque varia parere malorum genera. Oriuntur itaque Duodeni affectus omnes vel à solidorum vitio, vel ab humorum labe, & quod sæpius fit ab utraque causâ, vel tandem à depravatâ indole succorum huc affluentium. Membranas autem vel tunicas Duodeni relaxari, sive à mollitie fibrarum, sive à paralysi nervorum in hâc parte; constringi pariter, convelli, & quasi exsiccari posse nemo inficias ibit. Diversis etiam vitiis subjacere humores quibus alluitur organum illud, sicut & illi qui in ejus cavo excernuntur, quique tantis inserviunt usibus, nullus sanè diffitebitur.

(a) Vid. perelegantem Thesim Clariss. D. Baron, nunc hujusce Saluberr. Facultatis Decani; *An Duodenum ventriculus alter?* propugnatam die vigesimâ Novemb. ann. 1738.

I V.

JAM verò in Duodeni atoniâ, motus peristalticus, qui ab ipso principium habet, statìm imminuetur in totâ intestinali fistulâ, multòque tardior fiet contentorum progressio. Bilis succusque pancreaticus in cavo hujusce intestini stagnant, perpetuòque affluentes illud vehementer distendunt, ut apprimè docent sectiones

Anatomicæ *(a)*. Ex illâ autem distentione gravia excitantur pathemata, scilicet præcordiorum anxietas, appetentiæ privatio, dolor fixus circà primam vertebram lumborum, virium defectus, ructus & flatus, alvi adstrictio, Venæ portarum sicut & Venæ cavæ compressio; unde sanguinis congestio, obstructiones in visceribus abdominis & alia indè sequentia. Quæ quidem symptomata sæpiùs observantur in imbecillioribus, ut in Fœminis, in Hypocondriacis, &c. Si bilis ulteriorem adhuc patiatur moram in Duodeno, acris fit & putrida, fibrillas nerveas pungit, vellicat, erodit; undè inflammationes, dolores gravissimi, Tormina, Convulsiones, Cardialgiæ, Vertigines, Epilepsiæ & plurima hujusmodi. Ab hoc vitio haud raró etiam repetendæ Febres, vel continuæ, vel intermittentes & potissimùm tertianæ. Retenta proindè bilis in ductu hepatico, gignit Hepatitidem, morbum regium; in Cystide felleâ, ubi tenacior & viscidior est, efformantur calculi illi qui tantas Medicis facessunt molestias. Similes etiam aliquando generantur concretiones in Pancreate, eâdem de causâ. Si è contrario nimia fit Duodeni *crispatura*, vel fortior tunicarum contractio, tunc stagnant ingesta in ejus cavo sicut & in Ventriculo. Comprimitur vel coarctatur osculum ductûs choledochi, undè rursùs mala omnia mox recensita quæ à retentâ bile trahunt originem. Si spasmodicæ fiant constrictiones, aër impeditus brevique rarefactus Duodeni membranas vehementer distendit, flatus erumpunt; hinc dolores nephriticam æmulantes, Hystericis, vel Hypocondriacis adeò familiares. Idem sæpe fit in paroxysmis febrium, undè anxietates summæ, dolores circa lumbos, nausea, vomitusque sæpè procreantur.

(a) Vid Diemerbroeck Anatom. p. 53.

Humorum autem Duodeni vitium quod magis hìc attendi meretur, est aciditas nimia; siquidem admixtione liquoris hujusmodi, bilis concrescit, caustica ferè evadit, porraceum, æruginosum aut viridem habitum induit *(b)*. Hinc tam dira symptomata præsertim in pueris, qui magis dyscrasiæ illi acidæ obnoxii deprehenduntur. Tunc enim præter læsam alimentorum concoctionem, ructus acidos, flatus, tormina, spasmos, gravissimasque anxietates, vividâ irritatione trahuntur in consensum Diaphragma, Ventriculus, nervique pneumonici, sicque excitatur tussis vehemens, sæpè cum vomitu vel suffocationis metu: In quâ tussi ferinâ vulgò *coqueluche* parum juvare videntur dulcia, oleosa; palmam ferunt Emetica, & *Antiacida*. A gravibus illis malis immunes haud sunt adulti, præsertim Hypocondriaci, Febribusque intermittentibus jam à longo tempore affecti. Quid verò mali secum importet humorum Duodeni dyscrasia acris vel spissa, ex dictis facile erui potest. Unum tamen hìc adde quod bilis, ab acri inflammatorio sibi admixto porracea pariter evadat.

(b) Vid. Huxham, de morbo colico Damnoniorum p. 18. &c.

Inter morbos mixti generis primas sanè tenet inflammatio. In illâ autem premitur attériturque sanguis hærens in ultimis arteriarum finibus. Adaugetur humorum motus, sæpèque febris excitatur. Si ergò phlogosi afficiatur Duodenum, cum pars sit membranosa, valde sensilis, vicinisque partibus firmiter annexa, gravia omninò symptomata parit, ut patet cuique ad hujusce intestini situm & usum attendenti. Glandulæ autem quibus tota ferè superficies ejus interna, præsertim juxta pylorum, conspersa reperitur, phlogodeo affectui magis obnoxiæ sunt. In tumores attolluntur qui difficilè resolutione terminantur, sed frequentiùs in gangrænam abeunt, vel in scirrhos nullâ arte sanabiles. Indè chyli transitus impeditur, fit vomitus assiduus, infinitaque ab his mala. Haud raras esse istiusmodi observationes satis testantur Medicorum acta *(c)*. Si autem effervescant humores in vasis circa glandulas induratas hærentibus, acrisque nascatur in ipsis putredo, scirrhus malignus evadit & in cancrum mutatur. Malum sanè horrendum brevi desinens in mortem.

(c) Vid. inter alia Comment. Inst. Bonon. Tom. II. Part. I. p. 157. Vid. etiam Libellum cui titulus: *Diverses observations tirées des ouvertures des cadavres*, par Pierre Barrere &c. 1751. p. 48.

Jam verò si bilis in Duodenum advecta nimis sit fluida, tunc citiùs quam par est intestina sollicitabit, ingesta non rectè solvet, Diarrhoeas, Dysenterias, Gangrænas, aliaquè indè sequentia procreabit, ut in Dysenteriis-Epidemicis quibusdam, morboque Hungarico (*d*) observatur. Si contrà spissior sit effœtaque bilis, nonnisi prava fiet in Duodeno concoctio: lentæ orientur obstructiones in Meseræi glandulis, cum alvo adstrictâ flatibusque perpetuis. Hinc Vertigines, Hemicraniæ & alia hujusmodi. Tandem si bilis naturâ sit acris, producit mala tam sæpè recensita. Succus verò pancreaticus tenax, acris, effœtus eadem excitat symptomata ac bilis ipsa, sed in remissiori gradu.

(*d*) Acta Physico-Medica Nat. Curiof. Tom. I.

V.

Ex brevi illo prospectu forsan videbitur, quod sedem Chronicorum haud infrequentem in Duodeno reponere non omninò incongruum esset. Illud jam senserat Sylvius Deleboe, verùm falsis innixus principiis. Triumviratu humorum, bile, pituitâ, succoque pancreatico corpus universum regi audacter professus est, sed malo eventu. Celeberr. Fernelius (ut sileam de Helmontio pluribusque aliis) morborum plerorumque sedem ponit ad præcordia (*a*), quia partes quæ circà hæc sunt *eximio tangendi sensu sunt prædita*. Illæ enim magnâ societate, tum principibus, tum externis corporis partibus connexæ sunt, iisque adeo consentiunt ut affectæ, mox principes partes universumque corpus in consensum trahant. Ex dictis igitur planum fit quot ac quantis insultibus obvium sit Duodenum. Nec dicas cætera intestina Ileum, v. g., aut Rectum haud minora sæpè mala pati; ex prægressis enim abunde patet Duodenum ratione sitûs, connexionum, facultatis suæ in ingesta, indolisque succorum in ejus cavo scaturientium, gravioribus frequentioribusque morborum generibus obnoxium esse. Plurima alia quæ opinioni nostræ faverent, brevitatis causâ, silentio prætermittimus; præcipua indigitasse sat erit, ut meritò concludamus,

(*a*) Fernel. lib. IV. cap. X.

Ergò Duodenum plurium morborum sedes haud infrequens.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus - Renatus Marteau, designatus Bibliothecæ Facultatis Præfectus	*M. Antonius le Camus.*	*M. Antonius Casamajor; Censor Regius.*
M. Josephus Lallemant, Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor designatus.	*M. Claudius Bourdier de la Mouliere.*	*M. Raymundus de la Riviere.*
M. Petrus Poissonnier, Professor & Censor Regius.	*M. Petrus Arcelin.*	*M. Ludovicus - Petrus le Hoc.*

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-ANNA LAVIROTTE, Æduensis, Doctor Medicus Monspeliensis, Regius Librorum Censor, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.